

insinuant. Verbis usus prudentissime est obviis, quibus se velle tantum significaret, in dubiis securiorem a nobis partem amplectendam esse.

CAPUT II.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

- De contractu autem, qui novas has controversias excitavit,
 nihil in præsentia statuimus. Nihil etiam decernimus modo
 de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum
 Interpretes in diversas abeunt sententias. Attamen pietatis
 vestræ studium, ac religionem inflammandam existimamus,
 ut hæc, quæ subijcimus, executioni demandetis.

§. UNICUS.

Nonnulla *sophismata* adversus ea, quæ dicta sunt, diluuntur.

I. Non dubito futuros plures, qui subitati sic contra nos clamitent: *Eccur Prudentiam, Sapientiamque BENEDICTI XIV. imitatus non es?* Ille ab omni super contractibus in utramque partem a Theologis disputatis iudicio abstinuit. Tu vero quæ non scripsisti adversus contractus implicitos, & innominatos? Porro de his contractibus nonne disputant in utramque partem Theologi, & Interpretes Canonum? Cur ergo censoria virga eos notare es ausus? Si Pontifex prudentissime ab omni iudicio abstinuit, an non licebit nobis præfatos contractus celebrare; & quidem tuta conscientia? Si quid usuræ, si quid injustitiæ supremus Ecclesiæ iudex in his contractibus deprehendisset, ab omni ne illos censura dimisisset immunes? Numquid Christianos tanto æternæ salutis discrimini obnoxios reliquisset? Si vero liberum nobis est huiusmodi contractus tuta conscientia celebrare, cur tu tribunal erigis, gravique supercilio in præfatos contractus censuras intorques?

II. Hæc sunt mera *sophismata*. Hæc cupiditatis, omnium malorum fontis, persuasiones. Cur Pontifex Maximus a ferendo iudicio tum in contractus, qui contendendi occasionem præbuere, tum in cæteros, de quibus disputant Theologi, & Canonum sacrorum Professores in utramque partem, abstinuerit, jam dictum est supra. Quoniam vero propositus Epistolæ textus porrigit iterum occasionem sub examen revocandi eandem rem, lubet copiosius in ea declaranda præfari.

III. Apostolica Sedes, ut dictum sæpe est, sua iudicia communiter non fert in hoc, aut illud factum pluribus circumstantiis implicatum, sed regulas firmas, & canones certos præscribit, ad quos facta ipsa revocanda sunt. Contractus quilibet in disputationem vocatus modo sub uno, modo sub altero aspectu producit. Utraque pars studet contractum aut purgare ab usura, aut injustitiæ eundem damnare. Contractus tot induit formas, quot sunt studia disputantium. Ut veritas in tuto sit, præsciendum ab his peculiaribus dissidiis, & regulas certas, ad quas contractus omnes revocandi sunt, præfinire convenit.

IV. Verba hæc sunt, inquit fortasse mihi.

mihî. Nonne licet post hujus Decretalis Epistolæ promulgationem illos contractus celebrare, qui ante in usu erant, quique probabiliter a novis Theologis defenduntur liciti? Nullam ex opinionibus, quas Theologi pii, sapientesque tuentur, damnavit Pontifex: ergo nunc licet eas post vulgatam decretalem epistolam ita ac antea propugnare sententias, eisdemque contractus agere, quos in antecessum inire consuevimus.

V. Ergo, equidem inferam, vana, & superflua est decretalis Epistola. Nihil ergo jubet, nihil sancit, nihil constituit Pontifex. Ita ajunt. Egregie. Ita etiam affirmarunt jam usque a sæculo xvi. Probabilistæ, quos P. Tamburinus *ingeniosos Theologos* vocat. Edidit suas Constitutiones S. Pius V. adversus *Cambia sicca, Censur personales, Depositorum contractus*. Inclamatum continuo est, noluisse Pontifices damnare opiniones, quas agitant Catholici Theologi in utramque partem. Hæc est responsio, quam dant Lessius, Bonacina, de Lugo, alique plures. Objicienti non ita pridem mihi hoc nimium audax *sophisma* in hunc modum respondi: Dum ergo Pontifices suas Constitutiones edunt, non Catholicorum, sed Æthiopum, vel Turcarum opiniones damnant: non laxam opinandi quorundam Catholicorum libertatem coercent; sed infidelium errores corrigunt. Quis umquam adeo festiva commenta intellexit?

VI. Sed paucis me expediam. Nullum contractum peculiarem, nullam Catholicorum opinionem determinatam damnavit Pontifex; sed omnes improbat, quæ cum doctrina, & principiis sua Epistola constitutis pugnant. Hoc simplici, & perspicuo responso omnes argumentationes in fumum abeunt. Videndum nunc itaque qui contractus conformes, quive diffformes sint a doctrina in hac decretali tradita. Si diffformes inventi fuerint, futile est refugium ad auctoritatem piorum Moralistarum.

VII. Principia autem hac decretali Epistola constituta sunt huiusmodi.

1. Lucrum vi mutui perceptum sceneratorium est. 2. Quod pecunia tradita sit diviti, aut pauperi, non tollit crimen usuræ. 3. Neque quod accipiens pecuniam sit ex eadem ingentia lucra, & commoda assecuturus. Certa hæc omnia. 4. Ut tituli, aut contractus sint iusta lucranda causa, habeant oportet naturam, seu rationem a natura mutui *prorsus diversam*. 5. Hi contractus non semper ac pecunia collocanda est occurrunt, & sæpe non nisi unico mutationis contractui locus est. 6. Quando de his contractibus disputatur, illæ seligantur sententiæ, quas Doctores, qui & sapientia, & sanctitate supra cæteros efferuntur, propugnant. Quibus positis argumenti nostri sententiam urgeo.

VIII. Tituli angoris, & molestiæ ob pecuniæ privationem, quos esse iustam lucranda causam docent Pii Doctores, & Orthodoxi, sunt ne memoratis Epistolæ principiis consentanei? Contractus impliciti in formulis exhibitis a Lessio, & Gibalino, habent ne rationem a mutui natura prorsus diversam? Contractus hi, alique similes defenduntur ne a Doctoribus, qui cæteris doctrina, & sanctitate antecellant? Quid ad hæc? Quousque tandem nonnulli Juniores verborum, & apicum venatores prudentia, & clementia Maximorum Pontificum abutentur? Si propositiones damnantur, auctoribus, unde sunt excerptæ, prætermisissis, nullibi eas reperiri dicantur. Si Auctores, & libri indicantur, respondent, non esse sincere inde excerptas, sed in libris ejusmodi sensum saniores præferre. Si denique regulæ, & sanæ doctrinæ principia constituentur, nulla proscripita opinione, tunc nihil effectum esse ajunt, sed immotas consistere opiniones, quas Orthodoxi, pique Scriptores defendunt. Benignitatem Pontificum in pravum sensum detorquent, quod Summo Pontifici expediens visum fuerit, nec Auctores, in quibus reperitur doctrina erronea, indicare, nec contractum quempiam nominatim damnare. Hinc ne colligendum nihil definitum? Si unum quem-

quempiam contractum reprobasset Pontifex, illico illi, adjecta clausula nefcio qua, damnationem elussissent. Immo vero dixissent: *Damnatus est hic contractus & non alter*, licet omnino idem, sed diversis expressis verbis: Ergo hic licitus, & iustus, si alter, & non hic est damnatus.

IX. Ex quibus omnibus colligendum est, quam verum sit quod supra constituimus: videlicet superfluas esse omnes Pontificum, & Ecclesie univer-

sa leges adversus usuram, quoties spiritus evangelicæ Doctrinæ servandæ in cordibus Christianorum non domineatur. Innumeræ sunt adversus usuras Constitutiones, innumeræ Canones, damnatæque propositiones plures. Sed & cavilli, & sophismata, quibus leges huiusmodi implicantur, sunt infinita. Sophistis ergo claudendæ aures, & evangelicæ Doctrinæ auscultandum, obtemperandumque.

CAPUT III.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIFIC.

„ Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos confingantur, qui contrariam sententiam sequuntur; neque illam gravibus censuris notandam asserant, si præsertim ratione, & præstantium Virorum testimoniis minime careat. Siquidem convicia, atque injuriæ vinculum Christianæ charitatis infringunt, & gravissimam populo offensionem, & scandalum præferunt.

§. UNICUS.

Sensus erroneus, quem nonnulli Recentiores eruebant ex mandato Innocentii XI. Caveant ab omni censura, & nota, improbat in rescripto Epistolæ Textu, ut ego quidem sentio. Quomodo Venerabilis Innocentii Papæ præceptum intelligendum sit, declaratur, & exponitur.

I. Venerabilis Innoc. XI. in suo decreto, quo LXV. propositiones damnavit, prohibet, ne opiniones inter Orthodoxos controversæ censuris confingantur: „ Caveant ab omni censura, & nota, nec non a quibuscumque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controversantur. „ Nonnulli Re-

centiores, ut latam sibi ad quancumque laxam opinionem propugnandam, viam aperirent, severissime Decretum huiusmodi interpretati sunt. Quoties aliqua illorum opinio ut improbabilis vel falsa refutabatur, continuo transgressionem Innocentiani Decreti exprobrabant. Hæc sola vox *improbabilis*, gravis censura illis erat: gravior hæc altera; *falsa*.

II. Ut Epistolæ Pontificæ nostræ textum vero sensu interpretemur, primum omnium, quid nomine censuræ in Decreto Innocentiano intelligatur, explicandum est. Si quis affirmet aliquam opinionem esse *improbabilem*, & *falsam*; non propterea talis propositio censura confixa reputatur. Ita docent, vel benigniores Probabilistæ, Cardenas

Hur-

Hurtado, Lugo, quos citat, & sequitur Claudius La-Croix *lib. 1. ad Bussembaum cap. 11. num. 199. pag. 16.* „ Si quis sententiam aliquam appellat improbabilem, vel levem, saltem in communiore sensu non est censura, ut notant Hurtado, Lugo, Cardenas; ideoque dicit Cardenas, quod levissimum genus censuræ Theologicæ sit, dicere *temerariam*. Prohibetur tantum formalis censura, non autem si dicatur aliquid de sententia, ex quo inferri possit censura. Censura formalis est dogmatica, & definitiva, quæ non vi alicujus ratiocinii infertur, sed absolute asingitur propositioni.

III. Omnes pariter Theologi fatentur, nullam censuram illum inurere, qui ex aliqua opinione absurda hæreses, aliaque incommoda proficisci demonstrat, ut sententiæ ex effectibus falsitatem ostendat. Unius Patris Camargo verba ex Præfatione ad Regulas morum exscribam. *Neque si quis deduxerit ex ea sequelas plurimas, quas affirmet, aut probet esse longe horrendissimas, vel hæreticas etiam, aut blasphemias.* Pater Dominicus Viva in *Propos. xxxii. Alex. VII.* advertit, ex una propositione damnata alteram inferri posse, si eadem utriusque sit damnationis ratio. „ In propositionibus damnatis attendenda est ratio condemnationis, quæ si æque militet in aliis casibus, condemnatio implicite etiam ad illos casus se extendit.

IV. Ad convicia quod attinet, & contumelias, distinguendi sunt sales, lepores, quibus aspergi oratio solet, & lectorum aures moderate, humaniterque vellicantur, ut animum illi magis intendat ab injuriis, & improperiis, quæ honorem, & famam lædunt, ipsiusque Scriptoris honestatem dedecent. Nisi hæc præmittatur distinctio, omnia Patrum opera, quæ Apologetica sunt, Basilii, Athanasii, Augustini, Hieronymi, Bernardi, aliorumque plena conviciis, & contumeliis dicerentur, quod tamen falsum est, ut advertit Francolinus in *Præf. ad Cleri-*

cum Romanum. Aberunt ergo a nobis convicia. Nullum verbum in personas minus modestum e nostro calamo unquam excidet. Solos errores, opinionesque Christianæ morali adversas interdum opportunitate data salibus perfricabimus, exactis tamen omnibus ad leges honestatis, charitatis, & veritatis.

V. Altera particula Decreti Innocentiani: *inter Catholicos controversantur*, explicanda est. Illæ quæstiones dicuntur inter Catholicos controversæ, quas Universitates, & Catholicorum Scholæ adoptarunt, ut Parisiensis, Salamanticensis, Thomistica, Scotistica, Augustiniana: minime vero illæ, quas hic, aut ille Casuista proprio Marte conceptas in dies promit. Quid? Dicenda ne sententia inter Catholicos controversa, quæ a gravi culpa eximit tactus mamillares, quod duo, tresve Casuista id doceant? Opinio ne inter Catholicos controversa dicenda est, quæ ait: „ Jam vero proposita doctrina de indifferentia intrinseca ejusmodi tactuum est adeo certa, ut videatur negati non posse absque periculo erroris in fide. Constat enim ex Sacra Scriptura multis in locis: „ *Super egros manus imponunt &c.* „ Dicenda ne controversa P. Terilli opinio, agentis *tract. de conscient. 22. pag. 287. num. 201.* Sanctissimam Virginem, & Sanctum Joseph secutos fuisse opinionem minus sibi probabilem vel dum agebatur de præcepto naturali, & divino conservandi & alendi Christum? Vide hic Camargo in *Præf. §. 4.* Dicendæ ne sexcentæ aliæ opiniones, inter Catholicos controversæ, quæ horrorem, & scandalum vel ipsi hæreticis ingerunt, & tamen ab hoc, aut illo Catholico Casuista defenduntur? Illas nunc recensere nolo brevitatis gratia. Recensebo autem suo tempore, si opus fuerit, plus mille. Legantur trecentæ illæ, quas Hispaniarum Archiepiscopi, & Episcopi per Cardinalem Bellugam obtulerunt damnandas Pontifici Maximo.

VI. Sensus, quem nonnulli Recentiores

P

tio-

tiores expresserunt ex laudato Decreto, non modo falsus, erroneusque est, sed Catholicæ religioni perniciosissimus. Contendebant hi, opinionem aliquam investam, propugnatamque ab hoc, vel illo Theologo Catholico minime refutari posse, notarique tamquam improbabilem, falsam, scandalique plenam. Quo principio posito, nullum est absurdum, quod non sequatur. Hæresum inventores fuerunt communiter Catholici: & Catholicorum quilibet aliquam invehere hæresim potest, vel contra articulos Fidei, vel contra mandata Decalogi. Romana Sedes non solet illico damnare erroneas opiniones, sed pedetentim incedit, & gravitate summa, ut illius decet Majestatem. Interim ne Græx Evangelicus morsibus luporum, sub veste ovium in ovile Christi venientium, patebit? Licitum haud erit inclamare improbabilem, falsam, erroneam, scandalosamque esse opinionem investam? Vetitum ne nobis erit asserere, atque inclamare, putidissimum errorem esse, atque absurdum sophisma illud, quod mox innui, ineptissime, & nimis fidenter (ne quid gravius dicam) e ductum ab evangelico eo textu: *Super agros manus imponent, & bene habebunt?* Ergo absque periculo erroris in fide negari nequit, tactus mammillares absque ulla necessitate habitos indifferentes esse? Violatores ne Pontificii Decreti habebimur, si hæc ut putida, & luculenta commenta rejecerimus?

VII. Refutato, inquires, illa, si displicent: sed modeste, & quadam obsequentia. At quænam erit hæc phrasos obsequiosa? Ecce: *Meæ imbecillitati probabilius videtur: opposita opinio mihi magis arridet*, & alia hujusmodi. Quid ita? Quia jam beneficio Probabilissimi opinio quæque saltem minus probabilis remanet. Opinio enim, quam docent aliqui Theologi pii, & docti, semper aliqua probabilitate fruitur. Hinc refutatio quantumvis efficax, superflua est. Huc recidit charitas illa, quæ tanto prædicari fervore solet. Huc istius novæ benignitatis molimina, quæ in

Adversarios ipsos regerere necesse est. Probabilissimus ipse nos cogit improbare præfatas, similesque opiniones, tamquam falsas, erroneasque: quoniam, si mitior esset sermo noster, Probabilitatis pallio indutæ opiniones illæ probabilibus ab incautis Lectoribus haberentur; & graviter illorum animas, turpissimeque inficerent. Quare hoc illis palliolum eripiendum, ut deformitas monstruosa appareat: alioquin in nihilum occidit confutatio quæque.

VIII. Sed, quod mirari satis non possumus, est, quod Probabilitatæ omnia divina mandata, ac vel ipsum primum, atque præcipuum præceptum amandi Deum, benigne, & large interpretantur: Contra Pontificium Decretum extremo rigore, & inaudita severitate exponunt, ut advertit sapiens P. Ignatius de Camargo insignis Theologus Jesuita. *Hoc nimirum præceptum benigni Recentiores suscepisse quamlibetissime, ac liberalissime videntur. Nam, cum reliqua fere omnia, tamquam onerosa, ac odiosa restringenda esse pronunciant, sive benigne interpretanda: hoc tamen Pontificium præceptum adeo severe, & rigide intelligendum censent, ut nemini liceat, post illud, opinionem cujusvis Catholici viri vel falsam simpliciter dicere: quin vix prodit in lucem liber ullus contra Moralem laxam Doctrinam, quem non statim deferant ad Fidei Tribunalia, tamquam reum violati Decreti Pontificii. In Præf.*

IX. Auget vero admirationem, subdit doctus Jesuita Camargo, quod Probabilistarum plures passim Probabilissimi oppugnatores appellant *Rigoristas, Jansenistas, Novatores*. Hi non in opiniones, sed in personas ipsas improperia vibrant, hæreseos censuras benignissime infligunt. Si quis vero illorum opiniones, vel leviter vellicaverit, transgressor est charitatis. *At video complures esse Probabilistas sane delicatissimos, qui cum ipsi AUDACISSIME non modo de nostra sententia, verum & de Patronis ejus quidvis loquantur, & scribant: benignam tamen suam opinionem vel LEVITER tangi non ferunt.*

Ne-

Nemo non videt rigidissimam hanc Pontificii Decreti interpretationem eo spectare, ut novus opinandi modus, simplicitati evangelicæ oppositus, immunis ab omni censura evadat, libereque incedat, concludit perdoctus Jesuita Camargo. *Quo tendat rigor iste benignitatis, difficile non est divinare. loc. cit.*

X. Verum enim vero grates summæ agendæ Pontifici Summo BENEDICTO XIV. qui vana hæc, & sane perniciose interpretamenta de medio sustulit. Eas namque opiniones prudenter, sapienterque ille censuris notandas inhibet, quas præstantes Theologi potissimum, & ratio defendunt: **SI PRÆSERTIM RATIONE, ET PRÆSTANTIUM VIRORUM TESTIMONIIS** minime careat. Qui autem sint Viri in Theologia, & in sacrorum Canonum professione præstantes, supra declaravit Pontifex Summus: nempe, qui non modo doctrinæ, verum etiam sanctitatis gloria supra ceteros efferuntur. Itaque vetat notari opiniones, quas Viri docti, & sancti propugnant, tamquam divinæ legi conformiores.

XI. Quid? Licitum ergo, inquires, per te erit, opiniones aliorum, qui neque doctrinæ, neque sanctitatis fama splendent, censuris notare? Respondeo, quam maxime licitum esse, si opiniones revera falsæ, erroneæ, & scandali plenæ fuerint. Secus, si revera probabiles sint, vera, & solida probabilitate. Huc igitur res tota recidit. Videndum, cavendumque, ne censura: *Rigorismi, Jansenismi, Benignismi, Laxismi* illis propositionibus inurantur, quæ ut tales demonstrari nequeunt. Igitur antequam aliquis proclametur mandati Pontificii violator, prius ostendendum est, propositiones dignas non esse tali, vel tali censura; quia & rationi, & Virorum doctrinæ, & virtutis gloria præstantium consentaneæ sunt. Nisi id præstetur, rumores serere, calumniari nil proderit. Cæterum si viri pestiferum opiniones contineant, licitum non erit, illud manifestare,

detracta confictæ probabilitatis larva? Conculcandum ergo Evangelium, quod præcipit, ut Proximo seductionis periculo exposito succurramus? Urget charitas, ut corporum pestem manifestemus occultam. Animarum vero pestem, ne illam invehentibus damnium inferamus, occultabimus, & impune grassari patiemur? In hoc ergo tota vertitur res. Sint ne istæ opiniones noxiæ, perniciosæque morum integritati; an vere innoxie. Si primum prodeudæ, detestandæ: si secundum, commendandæ.

XII. Perpendenda sunt singula Epistolæ nostræ verba: *Nullæ omnino contumeliæ confingantur*. Ab his semper abstinentium, quod & honestatis, & charitatis legibus contumeliæ repugnent. *Neque illam gravibus censuris notandam asserant, si præsertim ratione, & præstantium Virorum &c.* Censura levis est temeraria, ut ex Cardenas animadvertit P. La Croix. Graves autem cæteræ, quæ adiaci solent. Porro opiniones, quæ tum ratione, tum præstantium Virorum auctoritate confirmatæ sunt, neque levibus, neque gravibus censuris confingendæ, sed obsequio suscipiendæ sunt. Præterea semper præ oculis habenda distinctio est censura, & absurdorum, quæ vi ratiocinii inferuntur, a censura formali, & definitiva, quæ absolute profertur. Optima hæc sunt, inquires. At hujus, vel illius Scriptoris non est definire, utrum hæc, aut illa opinio laxa sit. Bene. At est ne hujus, vel illius Probabilitatæ notam *Rigorismi, & Jansenismi* cuique pro ingenio affingere; & vel ipsa identidem opinionum monstra typis vulgare, eaque nobis ceu probabiles opiniones divendere! Paucis res tota declaratur. Quando opinio quælibet evidenter æquo rigidior, aut laxior est, quisque potest, & prout conditio fert, debet illam manifestare ut talem. Si opinio talis non fuerit, neque probari a censore ut talis poterit, tum plectendus censor est: commendandus vero, utpote de Ecclesia bene meritus, si æquam, justamque censuram demonstra-

P 2

ve-

verit. Plusquam sexcentas propositiones laxitatis ego notavi. Adeo vera, adeo manifesta laxitas earumdem Adversariis apparuit, ut & ipsi eas detestati sint. Illud solum opposuerunt, textus truncatos a me identidem productos esse. Quam calumniam sane gravissimam millies labefactavi. Tam

enim sinceri sunt Textus, quam laxæ sunt propositiones. Conficiamus ergo rem totam hac Evangelica doctrina: Si corrigendus, Deo jubente, publicus peccator, potiori jure corrigendi sunt Libelli typis editi, quoties laxitatibus, & erroribus referti sunt.

C A P U T IV.

TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

» Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes, & integros
 » præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fru-
 » ctum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut
 » contractum instituendum antea declarent, & conditiones infe-
 » rendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia postu-
 » lent. Hæc magnopere conferunt non modo ad animi sollici-
 » tudinem, & scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in
 » foro externo comprobandum. Hæc etiam aditum intercludunt
 » disputationibus, quæ non semel concitandæ sunt, ut clare pa-
 » teat, utrum pecunia, quæ rite data alteri esse videtur, reve-
 » ra tamen *palliatam* usuram contineat.

§. I.

Clare in hoc textu improbantur (ut ego quidem arbitror) contractus impliciti & innominati, qui sunt mera mutui pallia.

I. Quamquam, ut sæpius dixi, nullam peculiarem opinionem, nullumque contractum damnavit Pontifex Summus: tamen regulas certas, & adeo perspicuas constituit, ut hinc colligere nobis liceat, contractus implicitos, & sola bona intentione initos, improbatos jacere. Si enim declarandæ sunt conditiones contractui inferendæ, & describendus contractus, locus esse nequit contractibus implicitis, solaque intentione celebratis. Et

sane, si usura modo manifesta, modo palliata est, quodnam, amabo te, splendidius pallium ad occultandam usuram, quam contractus impliciti? Aut ergo dicendum, nullam esse usuram palliatam; aut fatendum, usurarum pallia esse inter cætera contractus implicitos, mutuoque innatos.

II. Alterum, non minus venustum usurarum pallium, sunt contractus innominati. Ad hos tandem innominatos contractus sese, veluti ad ultimum asyllum, recipiunt PP. Lessius, & Gibalinus. Quod sane effugium, evidens est afflictæ, & desperatæ causæ argumentum. Hæc sunt verba P. Lessii lib. 2. cap. 25. dub. 3. num. 22. Hinc patet, hos contractus posse fieri per modum unius contractus innominati: *Do, & facio, ut*

des, & facias. Nimirum trado tibi hanc meam pecuniam ad negociandum (exponens eam periculo, & privans me illius commoditate) & do tibi lucrum, ut tu ea negotieris; & ut te obliges ad reddendum sortem, & ad solvendum sex, & 2. in centum, tradam tibi meam pecuniam; & concedam tibi totum lucrum. Hi non sunt tres contractus a se mutuo independentes, sed unus solus, involvens omnia, quæ utrimque sunt conferenda, & commutanda. Eadem docet P. Gibalinus lib. 6. cap. 6. consec. 2.

III. Verum aut contractus iste justus est ob denominationem extrinsecam contractus innominati, aut quia intrinsecus sit unus contractus innominatus? Si primum: omnes contractus nominati suam justitiam a contractu innominato accipere possent, dum intima æquitate carent. Si secundum: ergo destruitur primus contractus, & duæ aliæ passionis propriam amittunt naturam. Quibus destructis una coalescit chimæra innominata. Clarius rem expono. Illos dumtaxat contractus innominatos vocari leges concedunt, qui propriam naturam, formamque non habent alicujus ex contractibus nominatis. Innominati dicuntur: *do, ut des: do, ut facias: facio, ut des: facio, ut facias.* Nominati sunt Emptio, Venditio, Locatio, Conductio, Societas, Commodatum, Depositum, Mutuum, Mandatum, Pignus, Cambium, Assuratio, alique. Quibus indicatis sic Adversarios urgeo. Quilibet contractus suam formam habet, propriumque nomen. Exempli gratia pone tres contractus: alterum societatis: alterum assurationis: tertium venditionis. Si juncti propriam retinent formam, proprium quoque nomen retineant opus est. Ergo subire innominati contractus denominationem haud possunt. Si juncti destruantur, innominata chimæra confurgit. Evinco. Contractus innominatus non coalescit ex contractibus nominatis. Hanc metamorphosim nemo hætenus commentus est. Quo enim pacto inde emergat transmigratio isthæc? Passionis adjectæ contra-

ctui principali, illum non destruant, sed perficiunt. Si illum destruant, cum eodem pugnant. Ergo falsa universa doctrina Lessii, Gibalini, aliorumque pro hoc triplici fœdere adducta. Princeps contractus est societas. Destruitur ne hæc adjectis duobus partibus, an secus? Si primum: ergo componi simul nequeunt contractus omnes. Si secundum: ergo non innominatus, sed nominatus contractus dicendus est. Pluribus opus non est, ut palam fiat, quam sit inepta hæc machina, quæ tandem desinit in contractum innominatum.

IV. Postremo, si loco mutui substitui denominatio contractus innominati posset, nulla amplius in mundo usura esset, quod toties damnatum in epistola nostra est. Hinc colligas velim, quam necessarium monitum sit, quod primo loco præmittit Pontifex Summus: *Primum gravissimis verbis populis vestris ostendite, usuræ labem, ac vitium a divinis Litteris vehementer improbari. Illud quidem varias formas, atque species induere, ut fideles Christi sanguine restitutos in libertatem, & gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat.* Dicant quæso nobis Patroni contractus impliciti, innominati &c. quænam sint hæc species variæ, quænam hæc formæ diversæ, quas usura subire consuevit? Assignent, si valent, alias larvas diversas ab illis, quas ipsi invexerunt.

§. II.

Ultima usuræ larva. Censuræ personales utrimque redimibiles.

I. Ultima usuræ larva est censuræ personalis, qui variis modis celebrari solet, variisque fucis obtegi. Multa dicenda de censu reali, de illius origine, progressu, & approbatione Ecclesiæ essent. Sed quia Pontifex Summus in hæc sua Decretali nullum peculiarem contractum inter Casuistas controversum expresse confixit; idcirco & ego ex instituto plurimos contractus non dispi-

ciam,

ciam. Nonnulla obiter dicam, quæ consequi ex Epistola Decretali videntur; plura in postero dicturus, si fuerit otium, & locus.

II. Census itaque personalis, quocumque modo conceptus, sive persona fructifera sit, sive sterilis, sive bona habeat, sive secus, larva usuræ est, purumque mutuum palliatum: potissimum vero si sit utrimque redimibilis. Ratio utique pervia est. Quoniam res ipsa in hoc censu non aliud venditur, aut emitur, præter pensiones solvendas. Ergo qua ratione pro 100. quæ nunc traduntur, emi nequeunt 200. per partes solvenda, sublato omni vero titulo extrinseco; eadem ratione nequit emi census, vi cuius pensiones istæ, quæ superant valorem pecuniæ traditæ, per partes, seu in annum solvendæ sint. Quod vendantur pensiones ipsæ, evidens est. Nam qui se personaliter obligat ad aliquid solvendum pro pretio, quod nunc accipit, non potest vendere jus ad rem illam, quin simul rem ipsam dandam vendat. Cum venditur triticum postea tradendum pro pretio præsentis, venditur ne jus ad triticum, secus triticum ipsum? Cum mutuarius se obligat ad reddendum, numquid se obligat ad jus tantum, secus vero ad pecuniam ipsam reddendam? Illa ergo res, ad quam dandam se venditor astringit, illa ipsa est, quæ venditur, emiturque. Verum ergo est, quod in censu personali pro mille præsentibus venduntur, & respective emuntur duomillia futura. Porro quemadmodum usura est, dum tibi creduntur mille, ut post decem annos eadem restituas, & interim singulis annis solvas quadraginta, vel quinquaginta; ita usura est, dum te obligas ad solvendam pensionem annuam, non computandam in fortem, sed sorte semper integra perseverante. Nulla quippe hic diversitas præter vocem. Quando autem additur jus redimendi vivum ex utraque parte, tum evidentius mutuum apparet una cum usura.

III. Urget, inquiunt Adversarii, ratio isthæc. At idem prorsus contingit

in censu prædiali, seu reali, qui licitus ab Ecclesia reputatur. Quam paritatem præ cæteris Salmasius exaggerat. At non minor disparitas est inter censum prædialem, & personalem, quam inter prædium, & hominem. In censu reali prædium ipsum, quantum ad dominium utile, in præsens emitur, dum pretium solvitur. Prædium ipsum fructiferum est. In censu personali non venditur persona. Distinctio domini directi, & utilis locum non habet nec respectu pecuniæ, nec respectu personæ.

IV. Quid ni, reponunt, habere hæc distinctio locum potest etiam respectu personæ? Hæc industriosa est. Porro industria fundus frugifer est, non secus ac ager: venduntur opera famulorum; quid ni & jus ad operas ipsas? Quam sint variæ argutationes istæ, inde quisquis colligere potest, quod si industria personæ venderetur, jam pro personæ dignitate augeri, aut diminui pretium pensionum deberet. Nonne prædiorum pretia diversa sunt. Ager in hoc loco valet 100. in alio 50. Si Rusticus avarus conducere in famulum vellet Comitem, aut Marchionem, quanti emere deberet istorum operas? Cum ergo ab his emere censum personalem velit juxta personarum dignitatem, augere pretium pro pensionibus solvendis astringitur. Itaque si censum personalem emis a Plebejo 100. pro 5. annuis; a Nobili, a Marchione, a Principe emere debes 400. aut 500. pro 3. annuis. Pretia quippe juxta fundorum valorem diversa sunt.

V. Adeo hæc luculenta sunt, ut P. Leonardus Lessius, Theologus cæteroque acutus, aliquo modo eadem eludat, sese ad asylum recipiendo pecuniæ præsentis, quæ plus valet, quam futura pecunia solvenda per partes. Quam doctrinam damnavit Ecclesia. Confugit quoque ad hominum usum. Siquidem *cit. lib. 2. cap. 22. dub. 4. num. 25.* sibi objicit hoc argumentum: Qui emit jus exigendi pecuniam, emit ipsam pecuniam: Atqui pecunia non est vendibilis. Hoc autem præbet responsum: *Respondeo ad majorem, verum non esse.*

esse, eum, qui emit jus ad pecuniam, emere proprie ipsam pecuniam; cum hæc multum differant, ut ex communi usu hominum patet, qui quotidie jura sua, & actiones pecuniarias vendunt. Addendum ex usu hominum feneratorum. Ab istorum ne hominum usu colligendæ morum regulæ sunt? Avarorum hominum corruptelæ in novæ moralis Theologiæ subsidium advocantur?

VI. Sibi objicit num. 29. Emptio census personalis non est aliud quam emptio personæ debiti successive solvendi, & juris personalis ad illud exigendum. Sed tale debitum, & jus, si nullum timeatur periculum, non minus valet, quam res ipsa. Ergo &c. *Respondeo primo* (inquit Lessius) *negando minorem; longe enim pluris communi hominum estimatione censetur valere pecunia Præsens, quam actio personalis, seu jus ad illam, sic per partes, & per tanta intervalla exigendam.* Hanc doctrinam de majore valore pecuniæ præsentis quam futuræ, frequenter, & clarius repetit pluribus in locis, quia, dum viveret ille, adhuc damnata ab Ecclesia non erat. Tandem, ut hos census propugnet, hanc inter alias rationem num. 22. depromit. *Tertio, nisi liceret tales census emere minori pretio quam sint pensiones separatæ, condemnandi essent plerique census in Belgio, Germania, & Gallia.* Hæc est una ex potissimis causis relaxatæ Theologiæ, quæ non ad Evangelii præscriptum, sed ad hominum mores vult conformari. Feneratoritii plures contractus essent, si consisterent Pontificiæ Bullæ. Ergo dicendum aut Bullas non esse acceptatas; aut, quæ prohibent, non repugnare juri naturali. Hæc est argumentatio P. Lessii, quæ quam solida sit, aliorum esto judicium.

VII. Rationes, quæ adversus census personales delibavimus, & aliæ plures, quæ adduci possunt, majorem certe præferunt probabilitatem. Discrimen censum prædialem inter, & personalem, valde evidens est. Et si rationes cum rationibus a lumine naturali repetitis pro utraque parte conferantur,

ut ego quidem arbitror, validiores plurimum sunt quæ usuram horum censuum evincunt, quam quæ justitiam eorundem defendunt. Secus existimabunt Adversarii. Fac, rem dubiam esse. Quid tum? Ad Ecclesiam veritatis Magistrum confugiendum profecto est. Porro Ecclesia approbat census prædiales præscriptis conditionibus servatis: improbat vero necessaria, & evidentissima consecutione census personales, quidquid in oppositum, absque ullius rationis vola, dicat Franciscus Silvius, non raro in laxiora propendens. Tam perspicua sunt verba Constitutionis S. Pii V. ut nulla verborum circuitione eludi queant.

VIII. Pater Eusebius Amort, amicissimus noster, in suis *Disquisitionibus Dogmaticis*, nuper Venetiis editis, integram, & quidem prolixam disquisitionem scripsit de Censu personali utrimque redimibili. Testatur §. 1. sæculo decimoquinto nondum obtinuisse in Germania. Sæculo XVI. passim non viguit. Sæculo XVII. *primum quidem timide; ad finem autem illius sæculi intrepide invaluit.* Quare vere scripsit P. Gibalinus, Theologiam Probabilisticam magna ex parte primum pavide, post erecto vultu produisse. PP. Laymanni, & Haunoldi testimonia in medium producit P. Amort, qui §. 2. subdit, ab anno 1500. usque ad annum 1560. in Bavaria viguisse tantum census reales redimibiles ex parte solius venditoris. Post census isti usque ad annum 1620. fuerunt utrimque redimibiles. Ab anno 1620. irrepere etiam census personales utrimque redimibiles; idque ostendit pluribus documentis ex Archivio Pollingano erutis. §. 5. evincit idem P. Amort censum Germanicum, omni alio sublato titulo, scænebrem esse. §. 12. affirmat, censum personalem Germanicum, prout nunc in more est, non raro suspectum de usura esse, & nonnumquam præsumptive usurarium. §. 14. hanc thesim probandam assumit: *Quam timide loquantur ipsimet Patroni contractus censuales personalis utrimque redimibilis.* Textus Biel, Lessii, Layman, Gre-

Gregorii de Valentia, Sporerii, Schmalzgrueber, & Pichler rescribit, ut propriis istorum Auctorum verbis demonstraret, eos dubitanter, & timide propugnasse ejusmodi census. At beneficio Probabilissimi nixi, *probabiliter* illos defendunt. Hic quippe Probabilistarum mos est. Dum genericam Probabilissimi notionem depingunt, optimis utuntur coloribus; clausulas, & limites præficiunt, qui fucum imperitis faciunt. Cæterum vix ulla opinio laxa occurrat, quam *probabiliter* plures Probabilistæ non defendant. Plures dico, non omnes. Nam agnosco doctos, piosque Probabilistas, qui tametsi Probabilissimum theoretice propugnent, re ipsa tamen probabiliores in praxi opiniones amplectuntur; sibi que religioni vertunt oppositas consecrari. Qui plura de censu personali cupit, legat præfatam Discussionem, in qua non pauca sunt, quæ mihi non probantur. Nec enim tantum mihi nunc otii est, ut enucleatius rem hanc dispiciam. Serventur quæ præscribunt Pontifices; & census isti, qui sunt meræ usurarum larvæ, evanescent.

§. III.

CONSECTARIUM.

I. Ex iis, quæ disputata hætenus sunt, consequitur, ut ego quidem arbitror, contractus, qui controversiam de usura excitarunt, scænebres esse. Duplici quippe via eosdem ab usura purgare tentarunt Scriptores. Altera est, quæ usuram moderatam, ex pecunia tradita mercatoribus, res suas amplificantiibus, perceptam, non esse a Deo vetitam ait, sed honestam, justamque. Hæc via reprobata jam est. Doctrinam hanc, tamquam hæreses labe aspersam detestantur Catholici omnes. Solis Calvinis, & Lutheranis hæc aperta via remanet; clausa vero Catholicis omnibus.

II. Altera via ab usura purgandi ejusmodi contractus, illa est contractuum implicitorum, aut innominato-

rum, aut census personalis, aut titulorum, qui sunt veluti mutuo innati. Atqui hæc quoque via scæneratitia indicata est, & ex instituto alio in opere demonstrabitur. Ergo scænebres præfati contractus. Unica hinc superest evadendi rima; videlicet ostendere, aut contractus implicitos, censusque personales ab omni usura immunos; aut usuram moderatam non esse a Deo vetitam. Sed, quod caput est, ostendant oportet, Christianos re ipsa inire in praxi contractus indicatos, iis conditionibus servatis, quas communiter illorum Patroni assignant. Scite dicunt Salmanticenses, Christianos minime capere has *Tricas Casuisticas*. Ergo, ipsis parentibus, re ipsa Christiani, præcisâ illa chimærica intentione lucrandi omni meliori modo, quo fieri potest, non contrahunt istos contractus, excogitados a Recentioribus, quos P. Thomas Tamburinus vocat *Ingeniosos*. Si & praxim omnibus limitationibus circumscriptam, & justitiam contractuum, aut censuum personalium, aliorumque titulorum ostenderint, tum victoriam canere jure poterunt. Meminerint tamen, adeo leviculas, ineptasque ratiunculas, quæ hætenus adductæ sunt in favorem innominati contractus, census personalis, aliorumque titulorum, apparuisse vel Hæreticis ipsis, ut hi talia commenta deridenda propinaverint, ansamque arripuerint universam Ecclesiam calumniandi. Idcirco, ut ejusmodi propugnarent contractus, novam in Ecclesia invexerunt doctrinam. Rationes ergo solidas adducere in medium debent Adversarii, non proprio Marte partas, sed a juris naturæ principis, & agraviorum Doctorum auctoritate arcessitas. Documenta Sanctissimi Pontificis BENEDICTI XIV. ob oculos habeant: scilicet, ne propriis opinionibus, ingenique acumini fidant, sed consulant illos Doctores, qui *doctrinæ, & virtutis gloria supra cæteros efferantur*. Eas feligant sententias, quas & ratione, & istorum Doctorum suffragio plane confirmatas intellexerint. Hæc si præstiterint,

rint, causa finita est, usuraque a libris Moralistarum sublata erit.

§. IV.

Sophisma disseminatum in vulgus, ab Edicto lato a Summo Regnante Pontifice BENEDICTO XIV. quo vetantur immoderati realium censuum proventus, petitum.

I. Dum hæc scriberem ad aures pervenit meas, homines reperiri adeo Christianæ Doctrinæ adversus usuram imperitos, ut disseminare in vulgus minime erubuerint, Summum Regnantem Pontificem declarasse, licitum esse ex pecunia mutuo credita quatuor, aut tria in centum exigere. Incredibile est talia a Viris Catholicis, & si superis placet Theologis, evulgari potuisse. Edictum latum est die 7. Septembris 1745. a Summo Pontifice, uti Principe, pro optimo sui Status politico regimide; minime ut a Supremo Ecclesiæ Pastore pro aliquo sive fidei, sive morum puncto declarando. Ut enormis impostura universo pateat Orbi, pauca ipsius Edicti verba transcribo. „ Di nostro moto proprio, certa „ scienza, e pienezza della nostra So- „ vrana Potestà, ordiniamo, e coman- „ diamo, che tutti, e singoli Censi „ creati, ed imposti, oppur' anche Cam- „ bji, ed altri debiti fruttiferi, passi- „ vamente contratti dal giorno, e tem- „ po, che entrarono le Truppe estere „ dentro i confini del nostro Stato Ec- „ clesiastico, da qualunque Comunità, „ Università di esso Stato, compreso „ vi anche le quattro Legazioni di „ Bologna, Ferrara, Romagna, ed „ Urbino ec. con qualsivoglia obbligo „ eziandio giurato ec. sieno e s' in- „ tendano dal giorno d' oggi in poi „ creati, imposti, e contratti alla so- „ la ragione di scudi quattro per cen- „ to, e non più, come Noi in virtù del- „ la presente nostra Cedola di nostro „ moto proprio da ora in poi li ridu- „ ciamo, e moderiamo ec.“

II. Hæc colligebant quidam, qui

inaudire Theologi volunt, Summum Pontificem definiisse ex pecunia mutuatitia licitum esse quatuor in centum exigere, atque usuram moderatam honestam esse. Facti rumor ad me pervenit: idcirco ineptissimum resello sophisma. Nulla in Edicto Camerali mutui mentio. Sermo ibi est de censibus, & cambiis celebratis a Communitatibus Pontificiæ ditionis. De his vero censibus, & cambiis nulla mota quæstio fuit, legitime ne celebrata essent, an secus: sed supposita a Pontifice, ut par erat, eorundem legitima celebratione, pretium immoderatum a contrahentibus pactum vetuit, illudque ad quatuor in centum idem Pontifex prudentissime restrinxit. Cæterum, si census veri sint, & legitimi, pretium immoderatum non usura, sed injustitiæ crimen est. Peccatum usuræ foret, si census, aut cambia ficta essent. Verum hæc nostra tempestate sunt homines non pauci, qui vanitatis fermento inflati, ea disputanda suscipiunt, quorum ignorant principia; & dum mundanæ gloriolæ fumum conquirunt, terræ posteritati se deridendos propinant. Certe in hos apprime quadrat illud Pauli ad Timoth. cap. i. v. 6. & 7. agentis: *Quidam aberrantes conversi sunt in vaniloquium, volentes esse Legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant*. Unius naturæ contractum cum alterius naturæ omnino diversæ contractu aperte confundunt: aut contra sola vocum diversitate diversos efficere contractus sibi illudunt. Hi sunt, qui dicunt, *se pecunias non mutuo credere, sed ad lucrum tradere*. Accipere quidquam ex mutuo, inquit, semper peccatum est. Gratuitum quippe mutuum est. Sed nos pecunias nostras *ad lucrum, ad interesse tradimus*. Dum lucrum volumus, eo ipso mutuum nolumus. Has leviculas, atque pueriles argutationes supra rejecimus. Ostensum ibi est, numquam, his positis, extitisse scæneratores; quoniam isti semper lucrum intendunt: & dum lucrum volunt, gratuitum mutuum nolunt.

Q

Num-